



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Brevis Expositio Propositionum Damnatarum

Didacus <ab Aragonia>

Venetiis, 1728

Horæ Canonicæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42653

tum, assumere ea delectabilia propter solam voluptatem; manere damnatam non formaliter, & expressè, ut constat ex diversitate propositionis 8. quæ non includit formaliter hanc, de qua agitur, sed tantùm virtualiter, nam ut dictum est in precedenti resolutione, damnata manet ea propositio universalis: *licet potest appetitus naturalis suis actibus frui*; id est illos elicere propter solam voluptatem.

HORÆ CANONICÆ.

304. **Q**uæritur. An præceptum recitandi horas canonicas versetur circa materiam dividuam?

Resp. Affirmativè, ratio est, quia tale præceptum dividitur in septem horas canonicas.

305. Quæritur. An qui non potest recitare matutinum, & laudes, tenetur ad reliquas horas?

Resp. teneri, ratio est, quia quando materia præcepti non est individua, qui non potest implere totam materiam præcepti, tenetur ad partem, quam potest; materia enim hujus præcepti recitandi horas canonicas, ut dictum est, non est individua, propterea qui non potest recitare Matutinum, & laudes, tenetur ad reliquas horas quas potest, sive teneatur ex iustitia, sive non, ut patet manifestè ex propositione 34. inter damnatas ab Innoc. XI.

306. Quæritur. An ægrotus, qui non potest recitare matutinum, & laudes, & dubitat an possit reliquas horas, teneatur ad illas?

Resp. Quando certum est, ægrotum non
pos-

posse sine gravi incommodo, aut periculo recitare totum officium, & dubitatur; an possit aliquam partem recitare, illum ad nihil teneri; ratio est, quia præceptum recitandi horas canonicas non obligat cum gravi detrimento valetudinis; cum ergo dubitatur, an possit ægrotus recitare aliquam partem officii canonici, & dubitatio est, an recitatio ejus partis alitura sit detrimentum ægroti; id enim perinde se habet, ac timere periculum ejusmodi detrimenti, & ideò dum dubitatur, an possit recitare, rationabiliter timetur periculum detrimenti, & ita ægrotus liber manet ab obligatione præcepti; Deinde quando dubitatur de obligatione præcepti ob talem circumstantiam, quæ ex una parte minuitur detrimentum ex altera verò inducit in perplexitatem, & scrupulum, cum homo ex tali circumstantia versetur inter duo pericula valetudinis, & conscientiæ, tunc talis circumstantia, quæ talem dubitationem producit, omninò excusat ab obligatione præcepti.

307. Quæritur. An qui non potest recitare unam horam integram, teneatur ad recitandam partem ejus; quam potest?

Resp. Juxta sententiam probabilem non teneri, ratio est, quia Ecclesia præcipit, ut horæ recitentur integræ, alioquin non possunt dici absolutè horæ canonicæ; dicentur autem horæ, quamvis aliqua minor pars desit, quia v. g. deest aliquod folium in Breviario, quod suppleri non potest, & hæc sententiam neque formaliter, neque virtualiter manet damnata, nam ex ea non infertur evidenter prop. 54. ab Innoc. damnata, quia auctores ejus sententiæ assignant

manifestum discrimen; Probabilius tamen esse videtur, illum ad recitandam partem horæ, quam potest, obligari, etiam si reliquam partem non possit; ratio est, quia præceptum de singulis horis recitandis non debet censi, continere materiam individuum, quia non datur fundamentum urgens, ut hoc censeatur; atque adeo qui non potest recitare aliquam partem magnam Matutini, Primæ, Tertiæ &c. tenetur ad recitationem singulorum Psalmorum, Orationum, Lectionum &c. & hæc est intentio Ecclesiæ; neque ex hac sententia sequitur, quod ægrotus incidat in perplexitatem, & scrupulos, standum enim est in ea doctrina tradita sub præcedenti.

308. Quæritur. An Cæcus excusetur à recitatione partis officii, quam memoria retinet eodem modo ac ægrotus?

Resp. Quamvis aliquibus videatur, eodem modo in Cæco, qui non laborat alio morbo quam cecitate, ac in ægroto discurrendum esse, & asserendum; nihilominus tamen non est in cæco, aliàs sanitate partecipe, eadem ratio ac in ægroto, de ægroto enim præcipuè febricitante dubitatur, an illa pars officii afferat ei nocumentum, & hoc modo periclitatur, quod non evenit in Cæco aliàs sano.

309. Quæritur. An, qui non potest recitare duos postremos Nocturnos ex matutino duplici, vel semiduplici, potest autem primum, teneatur ad hunc recitandum?

Resp. Teneri, ratio est, quia quilibet nocturnus cõsideratur ad modum unius horæ integræ, nam unus nocturnus constituit totum matutinum Paschatis, & Pentecostes, tum etiam, quia præceptum Ecclesiæ,

fiæ
ma
tu
go
ctu
ali
ma

qu
ra

co
qu
qu
ne
ci
qu
ac
ve
di
al
it
ri
fe
e
r

r

p
V
n
o
q
d
fi
p
r

siæ, ut terminatur ad nocturnos, continet materiam dividuam, olim enim dividebantur in Choro per diversas horas noctis; ergo præceptum obligat ad quemlibet nocturnum per se, etiam independenter ab alio, vel ad laudes, si non possit recitari matutinum.

310. Quæritur. An ægrotus, vel cæcus, qui commodè potest solùm cum socio horas recitare, teneatur illum advocare?

Resp. Affirmativè, si absque magno incommodo possit, ratio est, quia universim quando præcipitur finis, præcipitur etiam, quo media ad illum adhibeantur; sic Beneficiarius, dui indiget socio ad horas recitandas, quem habere non potest sine aliquo sumptu, qui illi non sit valdè gravis, adhuc cum eo sumptu tenetur socium advocare; & qui tenetur ad horas recitandas, tenetur etiam breviarium emere, si aliundè non habeat; & qui feбри, aut alio impedimento laborat tempore singulis horis præstituto, non potest illas omittere, sed tenetur eas prævenire, si commodè fieri possit, quia integra dies est assignata is recitandis.

311. Quæritur. An qui in die Palmarum recitat officium Pasche satisfaciat præcepto?

Resp. Negativè, ut patet manifestè ex propos. 34. inter damnatas ab Alexandro VII. ratio est, quia præter illam mutationem substantialem ritus extraordinarii in ordinarium, datur etiam notabilis variatio quoad officii qualitatem, maximè enim videtur deducere, quod ritus proprius lætissimæ Dominicæ Resurrectionis adhibeatur pro ritu lugubri addicto Dominicæ Palmarum; hinc mortaliter peccat, qui adver-

tenter formam breviarii non servat, recitando v. gr. de sancto, dum est recitandum de feria, vel de alio sancto; similiter legendo officium adventus tempore Quadragesimæ, vel è converso, quia non implet præceptum quoad substantiam, nam substantia præcepti in particulari, & in individuo est, quod constat ex his psalmis, & ex his lectionibus; Ex quibus sequitur 1. quod qui involuntariè unum officium pro alio recitat, teneatur, dum ad mutationem, vel errorem advertit, omnia supplere; sequitur 2. quod qui involuntariè hodie recitat de sancto crastino; probabilius teneatur iterum cras de eodem sancto recitare, ne bis erret; sequitur 3. quod qui impotens est ratione ægritudinis, itineris, mediæ noctis imminentis &c. integrum officium longum recitare, possit, & consultis sit aliud officium brevius, quod potest, integrum recitare, nam præstat substantiam præcepti implere cum aliqua levi mutatione, quam officium debitum mutilare notabiliter.

312. Quæritur. An sicut sub gravi præcipitur ritus servandum in recitandis horis, ita etiam sub gravi præcipiatur ritus servandus in Missæ celebratione?

Resp. Affirmativè, ut videre est in Bulla Pii V. quæ Missali præfigitur, atque adeò solùm materiæ levitas poterit à mortali excusare, sicut autem graviter variaretur ritus, si die Palmarum recitaretur officium Paschale, ita pariter si eodem die Missa Paschæ celebraretur.

313. Quæritur. An unico officio possit satisfacere duplici præcepto pro die præsentis, & crastino?

Resp.

Resp. Negative; quia id expressè prohibetur in decreto Alexandri VII. damnantis propos. 35. ratio est, quia onus recitandi horas est affixum diei, non quatenus quolibet die debeat recitari matutinum, & laudes cum possit hodie recitari duplex matutinum, alterum manè pro die hodierno, alterum vespere pro die crastino, sed dicitur onus affixum diei, quatenus pro quolibet die officium recitari debet; ergo sicut dies duplex non potest esse unus, ita pro duplici die non potest unum, idemque officium recitari.

J E J U N I U M.

314. **Q**Uæritur. An frangens jejunium Ecclesiasticum, ad quod tenetur, peccet mortaliter, si illud non frangat ex inobedientia, vel contemptu præcepti?

Resp. Peccare mortaliter, ut constat ex propos. 23. interdammatas ab Alexandro VII. ratio est, quia ex firma persuasione fideles possunt, ad jejunia Ecclesiastica se graviter obligari, adeo ut à puero, discendo catechismum, quilibet apprehendat, omnia quinque præcepta Ecclesiæ esse graviter obligatoria, & eorum transgressionem esse culpam mortalem, tum etiam quia universim lex canonica, quæ ordinatur ad animarum salutem, obligat semper sub mortali, si contineat materiam gravem ad bonum animarum conducentem, sed lex canonica præcipiens jejunium (idemque dicitur de lege precipiente observantiam festorum, ut patet ex propos. 52. interdammatas ab Innoc. XI.) continet materiam gravem, & maximè ad bonum animum condu-

cit.